UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum, Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute, Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Petrus Esteuartius n. 42

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Visual Library

41. A Peregrino *Nobili, qui ab Vrbe in Patriam reuerſus, quærenti quid vidiſſet Romæ pulcherrimum?* Societatem Iesv, *reſpondit. Ita apud omnes florebat Romæ Societas. Sic refertur Par. 2. Hiſt. Soc. lib. 7. n. 12.* *Pulchrum de Societate dictum.*

42. A Petro Estevartio *Academiæ Ingolſtadienſis Procancellario, & Rectore in Apolog. pro Societate ann.* 1593. *fol.* 21. Hæc (*inquit*) vnica, & præcipua cauſa eſt odij veſtri (*cum Hæreticis loquitur*) in Patres Societatis Iesv, omneſque eorum Patronos & amicos, videtis enim ſalua Catholica doctrina ita defenſa, quemadmodum à Societatis Iesv hominibus publicè docetur, promulgatur, propugnatur, omnes hæreſes labi & corruere: propterea Conſilia, ac leuitatem veſtram, voſque vt homines nihili, & viliſſimos deſpici, ac contemni, &c. *In illam Hæreticorū odium. Quia eius doctrina hæreſes labuntur, & corruunt.*

43. * Ab Alexandro de Ros *Decano, & Canonico Tortoſæ Protonotarioque Apoſtolico in ſua Catalaunia fol.* 440. *vbi poſtquam in Sacrario Montis-ſerrati Ignatium ante Virginis aras ſuſpendentem arma, & Minoreſæ corporis impetus domantem depinxit, ſtatim ſubdit*: Catalaunia denique natale ſolum eſt magnæ Societatis Iesv, quæ vnius ſæculi ſpatio Scholas viris doctrinę laude præſtantibus Orbem Heroibus Apoſtolicis Eccleſiam propugnantibus, Cælum ſanctis impleuit. *Sic ille in citata ſua Catalaunia vulgari lingua typis edita Neapoli ann.* 1646. *Vnico ſæcula Scholas viris doctrina præſtantibus, Orbem heroibus Eccleſiā propugnātibus & Cælum Sanctis impleuit.*

44. A Ioan. Bapt. Frances *Archidiacono, & Domino de Balpueſta Doctore Canonico Burgenſis Eccleſiæ in Cenſura ad Tom. de Incarnat. P. Bernal.* Germana, *inquit*, eſt proles Societatis, in qua nihil mediocre, omnia prodiere magna, &c. Toto hoc ſæculo cateruatim libri de genere Giganteo prodiere: omnes apud viros doctos tanti habiti quantum copioſæ Bibliothecæ teſtantur, & licet ſemper abundantia in ſemetipſam contumelioſa ſit, vt Tertulianus loquitur, & rebus raritas pretium faciat, vt Bernardus, perinde tamen amantur, & æſtimantur, ac ſi rari; perinde abundant, ac ſi nihili haberentur, &c. *Nihil in Ea non magnum. Eius ſapientia præcipue in librorum editione, commendata.*

45. * Ab